

Historiae Deorum Gentilium

DE MINERVA, AD D.
BARTHOLOMAEUM FERRINVM,
SYNTAGMA XI.

Dum Ferrine meam hanc tibi pararem,
Dono mittere nescius Mineruam,
Munus conueniens ratus futurum
Hoc nostrum tibi, qui tuo hoc iuuentae
Flore, aequalibus omnibus peraeque,
Virtute ac sapientia praeires:
Sed proh sors fera, dura lex Anances,
Nondum imposta libello erat coronis,
Nec sinopide frons notata rubra:
Ferrino improba Parca cum recidit
Fila argentea. Laeta, quo recepto,
Gratis Persephone suum Dionae
Adonin sine lachrymis remisit.

LILIVS GREGORIVS GYRALDVS
Bartholomaeo Ferrino S. P. D.

Si, cum de nobis optime meritis est gratia referenda, Ferrine suavissime, ea potissimum referre debemus (si modo possumus) quae illis conuenire uideantur: quis non iure ac optime a me factum iudicet, quod, cum te omnium officiosissimum esse cognouerim, et (ut de aliis nunc sileam) nulla mihi tempora, etsi grauissima illa quidem, contigere, quo minus quae tua semper fuit cum prudentia summa humanitas, studium erga me tuum propensamque uoluntatem omnibus officiis declarares, nullamque rem neque tam magnam, neque tam paruam putasti, quae tibi aut difficilis, aut parum te digna uideretur: omniaque quae in rebus non modo meis, sed caeterorum etiam amicorum agis, neque laboriosa tibi, sed etiam honesta uidentur: id quod nunquam ego praedicare desistam, nedum prae me ferre. Quare cum pro tot tuis tantisque beneficiis gratiam nunc demum aliquam tibi referre statuissem, qui in hac florenti aetate prudentia ac ingenio ita praeditus es, ut inter primarios eos connumereris, quibus prudentissimus ac sapientissimus Princeps noster HERCVLES Estensis sua arcana committat: putauit simul nostrae necessitudinis esse, meaeque in te beneuolentiae, Mineruam prudentiae ac uirtutis deam creditam, et a me cum caeteris Gentium deis descriptam, in [p.464] uulgus dare, ut sub tuo nomine appareat. Et quanquam scripta mea non ea sunt, quae ad spem aliquam immortalitatis, uel posteritatis memoriam, quenquam rapere possint: non tamen committam, ut a quoquam ipsa ingrati

nomine accuser. Abs te enim (quae tua est in omnes mansuetudo et singularis modestia) nihil metuo. Accipe igitur hoc qualecunque est, quod tibi pro tot beneficiis munus rependo. Ex hoc quidem uideas licet, non referendi uoluntatem mihi, sed uires defuisse. Vtcunque tamen, tu eo animo hoc nostrum munus suscipe, ut ex tua Minerua, id est ingenio tuo ac prudentia, aliquid in hoc splendoris ac lucis lector accipiat. Vale: et quarum rerum spe ad laudem uocaris, earum fructum indies opto ampliolem consequare.

MINERVA.

Mineruam nostri, Graeci ἄθηνᾶν, diuerso etymo nuncuparunt. hi enim, quod non indiguerit mammaram ablactatione, hoc est, ἄνευ θηλάζειν. θηλάζω quippe lac sugo significat. nam ex patris capite adulta prodiit, a qua re etiam κορυφαγένη dicta est, ut pluribus suo loco docebimus: et quod sine matre edita, ἄμητρος uocata est, teste Polluce: et ἀμήτωρ, teste Phornuto. Alii quasi ἄθρεναν dictam autumant, a praeuidendi scilicet potestate, quod sit prudentiae praeses. Plato deriuationem aliam attulit. Athenam ait quasi θεονόη, et inde ἠθεονόην, id est quae diuina cognosceret. plura idem in Cratylo. Alii ἀπὸ τοῦ θήνεσθαι, id est seruire, et α particula priuatiua, quod sola prudentia liberum hominem faciat: ut est illud M. Tullii ex Stoicorum sententia, Liberum esse neminem, nisi sapientem. Alii dictam uolunt quasi Aetheroniam, ab aethere, quod Phurnutus scribit: hinc Panathenaea, huius deae maxima Atheniensium celebritas, de qua Isocrates, Plutarchus, Pausanias, alii. Fuit et ἄθηνα tibiae genus, ut Iulius Pollux scribit, quo Nicophelen Thebanum in Mineruae hymnis usum ferunt. Phurnutus et alias affert ἄθηνᾶς deriuationes, adeo ut dicat difficile esse, eius etymologiam afferre: hoc est, δυσετυμολόγον eius nomen, propter antiquitatem. nam et quidam ἀπὸ τοῦ ἄθρεῖν deducunt, quod omnia colligat. Nostri uero, quos inter M. Tullius, Mineruam dictam uolunt a minuendo, uel minando, quia prudentiae dea sit et belli. Festus Mineruam dictam ait, quod bene moneat. Hanc etenim et antiqui [p.465] etiam pro sapientia ponebant. Cornificius uero dici ait, quod fingatur pingaturque minitans armis. De Minerua uero ita Arnobius libro III.: Aristoteles, inquit, ut Granius memorat, uir ingenio praepotens atque in doctrina praecipuus, Mineruam esse

Lunam probabilibus argumentis explicat, et literata auctoritate demonstrat. eandem hanc alii aetherium uerticem, et summitatis ipsius esse summam dixerunt. Memoriam nonnulli: unde ipsum nomen Minerua, quasi quaedam Meminerua formatum est. Isidorus uero in decimo: Mineruam, inquit, gentiles multis ingeniis praedicant. hanc enim primam lanificii usum monstrasse, hanc etiam telam ordisse, et colorasse lanas perhibent: oliuae quoque dicunt inuentricem, et fabricae, et multarum aliarum artium repertricem, ideoque illi uulgo opifices supplicant. Sed hoc poetice fingitur. non enim Minerua istarum artium princeps: sed quia sapientia in capite dicitur esse hominis, et Minerua de capite Iouis nata esse fingitur, hoc est ingenium: ideo sensus sapientis, qui inuenit omnia, in capite est. Ideo et dea artium Minerua dicitur, quia nihil excellentius est ingenio, quo reguntur uniuersa. haec pene totidem uerbis Isidorus. Sedenim et Aristoteles, et Phornutus, aliique, Mineruam ferunt tibias inuenisse. quas et abiecisse, propter oris deformitatem, dum eas inflaret, seque esset in aquis intuita. hinc Ouidius ait:

I procul hinc, dixit, non est mihi tibia tanti,

Vt uidit uultus Pallas in amne suos.

id quod repetit et Claudianus, ne alios commemorem. Sed et aliarum bonarum artium eam inuentricem tradunt, unde illi facta cognomina, ἐργάνης, et alia, ut paulo post dicemus. Scribit Proclus, et repetit Ficinus, auream fuisse apud Aegyptios Mineruae epigraphen, id est inscriptionem in eius templis: Ego sum quae sunt, quae erunt, et quae fuerunt: uelum meum reuelauit nemo: quem ego fructum peperit, Sol est natus. Multa super hac re dicunt Platonici, qui Mineruam seu Pallada intellectilem prouidentiam esse prodiderunt, ac diuinitatem, sapienter simul atque potenter (ut aiunt ipsi) coelestia exornantem, et quae sub coelo sunt producentem. Sed haec non nostri instituti sunt. A Minerua Minerual formatur, quod et Mineruale dicitur, ut placet aliquibus, praemium quod magistris exhibetur, hoc est graece δίδακτρον. id in III. de Re rustica ostendit Varro. Meminit et Hieronymus in epistola Pauli ad Ephesios, inuunt Horatius et Ouidius, ut notat Politianus. A Minerua quoque Mineruii uersus, et Mineruium, id est Mineruae templum, cuius meminit P. Victor in nona urbis regione. Fuit et Mineruium oppidum uetustum, de quo T. Liuius in V.

Decade. Est et recens in agro Bononiensium unde est ridiculum in uulgi sermone, in eo uersari. Sed ut a Minerua Mineruium, ita ἀπὸ τῆς ἀθηναῖς Athenaeum deducitur, pro loco ubi homines literati conueniunt, et de literarum [p.466] ac disciplinarum studiis agunt, graecis, quorum est frequens uocabulum: sed et latinis. Locus praeterea Romae fuit, ubi discentes se exercebant, ut ait Dion historiis, ubi etiam recitabantur uersus et orationes, et caetera. Eius loci meminere et ueteres Horatiani interpretes, item Lampridius, et Hieronymus. Locus est in secundo Herodiani, de quo plerique dubitant, ubi ait ille et graece et latine a Politiano: Commodi interfecti corpus uehiculo delatum, furtim missum in Aristaem. quidam emendant, Athenaeum, coniectura ducti, quod Aristaem in urbe non fuisse legant. Mineruam ait in primo Diodorus aerem uocatam, et Iouis filiam dici, et uirginem fuisse, quoniam aer ipse non corrumpatur, et sublimiorem locum teneat, quapropter ex uertice Iouis nata dicitur. Porphyrius philosophus Mineruam uirtutem solis existimabat, quae humanis mentibus prudentiam subministraret. ideoque ex capite Iouis prognata, id est de summa aetheris parte edita ferebatur, unde sit solis origo. Eadem Macrobius repetit. Sane Hesiodus in Theogonia μῆτιν, hoc est consilium, siue prudentiam, Mineruae matrem cecinit, quod et Phornutus refert. nam Metin cum deorasset Iupiter, inde mox deam ipsam Mineruam concepit ac genuit: quamuis etiam in fine poematis, id est Theogoniae, alteram ex paterno capite ortam Mineruam fingat. Copiose uero hanc fabulam est interpretatus Chrysippus, ille Stoicorum scriptor acerrimus, quem tamen Cl. Galenus impugnat, non ut medicus, sed ut philosophus acutissimus, libro tertio de Hippocratis et Platonis decretis: quae breuitatis causa ipse praetermisi. Sedenim et de Meti meminere etiam Christiani scriptores, dum rident gentium ineptias, et fabulamenta, ut Clemens et Epiphanius, uiri cum doctrina, tum sanctitate insignes. Epiphanius enim, cum contra Haereticos scribit, et Gnosticos praecipue, inter caetera ita scribit: Introducunt, inquit, poetae Iouem, suam filiam μῆτιν deorasse: infantem autem nemo utique deorarit, uelut sanctus Clemens turpes deorum graecorum actiones irridens dixit. nam Metin deorans, non infantem deorare potuit, sed propriam genituram: et caetera,

quae abominanda Gnostici illi haeretici peragebant, quae praefato pudore uir sanctus exequitur. Mineruae autem nomine M. Cicero quinque nominat in tertio de Natura deorum. Primam, quam Apollinis matrem dixit: secundam, ortam Nilo, quam Aegyptii Saitae colebant: tertiam, illam quam Ioue generatam, in Ioue dictum est: quartam, et Ioue natam, et Polyphoe Oceani filia, quam Arcades Coresiam nominabant, et quadrigarum inuentricem ferebant: quintam, Pallantis, quae patrem dicitur interemisse, uirginitatem suam uiolare conantem, cui et pinnarum talaria effingebant. Haec ex cicerone. Arnobius quoque [p.467] quinque commemorat, ex quibus prima non uirgo, sed ex Vulcano Apollinis procreatrix: Nili altera proles, et quae esse perhibetur Sais: Saturni tertia est, et quae usum excogitauit armorum: Iouis quarta progenies, quam Messenii Coryphasiam nuncupant: et quae Corypallantem occidit patrem, incestorum appetitorem, est quinta. hac parte Arnobii codex deprauatus est, quare uide quae paulo post in Coryphasia dicam. Effingebatur uero Minerua uariis etiam modis, uultu in primis uirili et truculento, teste Phornuto. Alii armis insignem, oculis toruam, et glaucis, cum hasta praelonga, et crystallino clypeo effecere: omniaque haec mystice, prudentis ac sapientis dicunt significare naturam. Pausanias uero in Attica, simulachrum Mineruae in hunc prope modum effectum describit: Simulachrum, inquit, ex auro et ebore constat, media eius galea sphingis species apposita, utraque uero galeae parte gryphes sunt exculpti. Simulachrum stat, ueste podere, id est ad talos demissa: Medusae capite in eius pectore ebore inserto, et Victoria magnitudine quatuor cubitorum. in manu est hasta, ad pedes scutum iacet, iuxta hastam draco, et caetera. Huius quidem statuae sic uidetur Plinius meminisse, libro XXXIII. Phidias, inquit, praeter Iouem Olympium, quem nemo aemulatur, fecit ex ebore aequae Mineruam Athenis, quae est in Parthenone astans. Alio modo ab Apuleio libro decimo describitur. Capite, inquit, galeam gerens, contectam oleagina corona, clypeum attollens, hastam quatiens. Legimus et Mineruam saepius stantem, sed et sedentem, cuius et Eustathius meminit. Perinam enim scribit, mulierem quandam Aegypti, ipsam sedentem contexuisse: unde, ait, Mineruae sedentis statua fieri coepta est. Notissimum est illud, eam peplo ornatam, frequenter effectam

fuisse: et plerunque cum noctua, ut saepe uidemus, nunc ad pedes, nunc in capite: sed et cum dracone. Quare cum in exilium iret Demosthenes, dixisse fertur, Mineruam tribus immanibus oblectari feris, noctua, dracone, populo: miror non etiam gallo dixisse. quippe Pausania tradente, in Eleorum arce galeae Mineruae gallus insidebat, quod gallus pugnax auis sit. quinimmo et simulachrum eius legimus, quod cornicem praeferebat. Notiora uero sunt, quam ut pluribus explicem, Gorgona et aegida illi attribui. Et in ipsa quidem aegide caput erat Gorgonis, linguam exerens: ideo quod linguae usus, id est sermonis, in omni re praestet, atque excellat. Si tamen plura uelis, lege in VIII. Aeneidos Vergilii ibi:

Aegidaque horrificam turbatae Palladis arma,
Certatim squammis serpentum, auroque polibat,
Connexosque angues, ipsamque in pectore diuae
Gorgona, desecto uertentem lumina collo.
[p.468]

Nec eo loco Seruium legere pigeat. Sane olea Mineruae attribuitur, propterea quod semper uiret, et nescio quid glaucedinis habeat. Et oleum, quod nihil contineat humidi admixtum, sed semper sincerum et ἀκέραιον perseuerat: sic et uirginitas, ut Phurnutus ait. Sunt qui huic deae oleae sertum assignent, quod haec arbor pacis sit symbolum. nam et ideo arma inferri dicuntur, ut postea in pace uiuatur. Scribit Plinius: Athenis quoque, inquit, olea durare traditur in certamine edito a Minerua, de quo ipsius et Neptuni certamine non modo Musae et graecae et latinae, sed et utraque historia, plurima prodidere. Certe illud Pausanias tradit, oleam arsisse, cum Medorum incendio urbs Athenarum conflagrauit: et exustam, eodem die in duorum cubitorum proceritatem germinasse. Illud etiam mirum scribit Plinius in oppido Troadis circa simulachrum Mineruae, in eodem relicta sacrificia non putrescere. Sed iam his sic expositis, cognomina interpretari aggredior.

Pallas Minerua in primis dicta est, uel a Pallante gigante occiso, ut scribit Seruius: uel quod in Pallante palude orta est, ut Festus: uel ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ, id est, a uibranda et concutienda hasta: uel a saliendo, et saltando in bello, ut Plato ait. nam uel se, uel aliquid a terra attollere, seu manibus quippiam efferre, πάλλειν et πάλλεσθαι dicitur, hoc est uibrare,

agitare et saltare. Alii a Pallante patre dictam uolunt, quem illa interemerit, uirginitatem suam uitiare conantem. Sed an geminos patres Minerua habuit? Arcades quidem fabulantur, Mineruam adhuc paruulam ab Ioue missam ad Pallantem Lycaonis filium, ut cum eius filia in eius aedibus educaretur: ubi cum adoleuisset Minerua, educatoris filiam in deorum numerum cooptauit, uictoriamque, id est *νίκην* uocauit, se uero ab educatoris nomine Pallada dixit. Auctores Alicarnasseus Dionysius et Pausanias, ut etiam in Victoria repetam. A Pallade Palladion uocabatur, hoc est Palladis simulachrum: quod alii unum e coelo lapsum, apud Athenas tantum fuisse, ut ait Seruius: alii duo uolunt, Troianum et Atheniense. de Troiano Vergilius in secundo Aeneidos: Omnispes Danaum, et coepti fiducia belli, Palladis auxiliis semper stetit, impius ex quo Tydides, sedenim scelerumque inuentor Vlysses, Fatale aggressi sacrato euellere templo Palladium, caesis summae custodibus arcis, Diripueresacram effigiem, manibusque cruentis Virgineas ausi diuae contingere uittas: etc. Palladium demum Romam delatum ferunt, quade re praeter Seruium, Dionysium Alicarnasense multa, inter quae et hoc: Postea, inquit, capta urbe inferiore, Sican [p.469] dicunt, dominum arcis factum, sustulisse ex adytis et magnorum deorum sacra, et quod adhuc supererat Palladium. nam alterum quidem Vlysses et Diomedem, noctu ingressos Ilium, furto abstulisse aiunt: profectum deinde ex urbe Aeneam, sacra ipsa secum ferentem in Italiam aduenisse. Arctinus autem poeta, datum esse dixit Dardano ab Ioue Palladium unum, fuisseque ipsum in Ilio, donec urbs capta est, absconditumque in loco inaccesso: exemplum autem eius ita adornatum, ut nihil ab exemplari differre uideretur, ad fallendos insidiatores, in aperto fuisse positum, idque Achiuos per insidias surripuisse. Haec Alicarnasense quibus manifeste uidemus Seruium deceptum, quae de Mamurio confingit. Illud item de Palladio in Paralleliis, quod Ilus captus sit oculis, quod Palladium ex incendio sustulisset, id quod deinde et Metello accidit eadem causa. minime enim licebat Palladium mortalium oculis conspici. Et haec ille ex Dercyllo, et Aristide Milesio recitat. Scribit et Strabo in sexto, in Ilio cum Cassandra uiolaretur in templo,

Palladium sese auertisse. quo loco idem de Palladio et alia subdit, tum Romae, tum Lauinii, et Luceriae, etc. Scribit et Varro in libris quos de familiis Troianis scripsit, Nautiorum familia Romae fuisse, quae Palladium custodiret, et sacra retineret: ex quo Nautes apud Vergilium inducitur in quinto Aeneidos. Fuit et Athenis locus quidam iudiciorum, Palladium nuncupatus, de quo Demosthenes in oratione *κατ' ἄριστοκράτους*: Alter, inquit, iudiciorum locus in Palladio erat, ubi de caede praeter uoluntatem, uimque ui repellendo illata quaerebatur, etc. Meminit et, si satis recordor, Pausanias in Attica. Pollux quoque: Euersa, inquit, Troia a Graecis, Athenas Palladium fuisse delatum. Phalerei uero habitatores, qui portus est iuxta Pireaeum, illos esse hostes arbitrati, in mare praecipites dedere. Acamas etiam dixerat graecos fuisse homines, qui Palladis simulachrum attulerant: occisos itaque oraculum uocauit *ἀγνώστους*, id est ignotos, quod cum essent amici conterraneique, tanquam ignoti periere. Qua ex re in eo loco ob rei memoriam Palladium sacrum, et tribunal constructum fuit, ubi de caede non uoluntaria ius diceretur: quoniam Phalerei non nocendi, sed iuuandae gratia patriae, imprudenter tanquam hostes interfecissent. plura de hoc iudicii foro Pausanias in Attica, quo loco Demophontem primum poenas luisse prodidit, quod cum Phalereis Argiuos pepulerit: intereaque Atheniensem quendam incautum a Demophontis equo prouolutum, calcatumque interisse, atque ideo Demophontem poenas dedisse. Sed iam plura de Palladio, quam putaram.

Parthenos Minerua, id est uirgo, Athenis in arce, id est Acropoli culta est summa religione, unde et in ea templum Parthenon est dictum. [p.470] Hinc et saepe legas in Parthenone apud scriptores, etsi parum quandoque emendate. Iuno quoque aliquando *πάρθενος* nuncupata est, ut suo loco diximus. Sedenim a Partheno Minerua, herba Perdicion, id est, quae Vrceolaris herba a nostris uocatur, Parthenium appellata est. Vernula, scribit Plinius, charus Pericli Atheniensium principi, cum is in arce templum aedificaret, repissetque super altitudinem fastigii, et inde cecidisset, hac herba dicitur sanatus, monstrata Pericli in somno a Minerua: quare uocari parthenium coepta est, assignaturque ei deae. haec ex Plinii uerbis.

Tritonia, uel Tritonis Minerua cognominata, ut notissimum est. Pausanias in Boeoticis Triton torrens est, inquit, haud magnus, prope Alalcomenas in Boeotia, uersus Libyam fluens, et ex Tritone palude in mare fertur, ubi tradunt educatam Mineruam, et non in Libya. Noster hic tamen Mela a Tritone Libyca dictam putat, his uerbis Libyam describens: Super hunc sinum, inquit, ingens palus amnem Tritona recipit, ipsa Tritonis: unde et Mineruae cognomen inditum est, ut incolae arbitrantur, ibi genitae: faciuntque ei fabulae aliquam fidem, quod quem natalem eius putant, ludicris uirginum inter se decertantium celebrant. haec Mela. Idem tradit et Herodotus, ut mox ostendam: sed et Lucanus poeta in nono, his uersibus canit:

Torrentem Tritonos adit illaesa paludem,
Hanc (ut fama) deus, quem toto littore pontus
Audit, uentosa perflantem littora concha:
Hanc et Pallas amat, patrio quod uertice nata
Terrarum primam Libyen (nam proxima coelo
est,

Vt probat ipse calor) tetigit, stagnique quieta
Vultus uidit aqua, posuitque in margine
plantas,

Et se dilecta Tritonida dixit ab unda.

Idem affirmat Isaacius Lycophronis interpres, idem fabulose innuit Aeschylus. uel quod ab Ioue genita, et apud Tritona educata fuerit. uel dicta, ut Sthenae placuit, quod τριτόμηνης, id est tertio die mensis genita fuerit: hinc etiam apud Athenienses tertius mensis dies Mineruae fuit consecratus. uel quod tertia nata sit ex Ioue, post Apollinem et Dianam. uel quod ex Iouis capite edita sit. Boeotiorum enim lingua, uel Aeolicorum, τριτών, uel τριτώ caput dicitur. uel quod eadem sit quae et Luna, quae tertia a coitu die apparere incipit. uel quod nihil ab aere differat, qui tertium est elementum. Quapropter et Diodorus in primo ait, Mineruam [p.471] aeriam nominari. Eusebius in Praeparatione euangelica et ipse Tritoniam aera uocauit: qui quod ter in anno mutetur, tres quoque habere dicitur qualitates, caliditatem, frigiditatem, et temperiam: ideo Tritonia appellata. Nam τρίτον tertium dicimus. Democritus quoque philosophus Pallada ideo Tritonida cognominatam prodidit, quod tria haec mortalibus fuerit elargita, βουλευεῖν καλῶς, κρίνειν ὀρθῶς, καὶ πράττειν δικαίως, hoc est, bene consulere, recte iudicare, et iuste facere. Notant Apollonii interpretes in primo Argonauticon tres fuisse

Tritonis nomine: unam aiunt hanc in Boeotia, alteram in Thessalia, tertiam in Libya. Pausanias uero in Arcadicis a supra recitatis aliam affert opinionem. Scribit enim, Alipherenses in Arcadia (uetustum est id oppidum) maxime Pallada uenerari, atque apud se genitam et educatam iactare, ex eoque Lecheatae Iouis aram extruxisse, utpote qui Pallada ibi ediderit, fontemque Tritonidem appellasse, sibique caetera uendicasse quae de Tritone feruntur. Simulachrum etiam Mineruae aereum fuisse apud eos, ab Hypatodoro fabrefactum: celebritatemque ibi habitam, in qua et Myiagro rem sacram agebant, quem deum in primo Syntagmate descripsi. Scribit in quarto Herodotus, Libyos dicere solitos, Mineruam Neptuni filiam et paludis Tritonidos: quae cum nescio qua causa a patre reprehensa fuisset, ipsam se Ioui donasse, Iouem filiam ascuuisse. quo loco idem scriptor exequitur et diem festum, et celebritatem, quam propterea puellae celebrabant, certamine quodam cruento: in quo quae morentur, non uirgines reputabantur, et una inter eas ipso certamine celebrabatur, ornabaturque. Sed enim ne quid omittam, et dea haec Tritogenia nuncupata est, de qua Sextus Pompeius: Tritogenia a ripa Tritonis fluminis dicta, quod ibi primitus sit uisa. Diodorus uero, Tritogeniam ideo ab Aegyptiis uocatam ait, propter tria anni tempora, uer, aestatem, et hyemem. Tres enim Aegyptii anni partes faciebant. Sed et triplicem Mineruam praefereunt, quae in Cratylum Platonis Procli scholia circumferuntur: primam πηγαίαν et νοεράν, secundam ἀρχικὴν, tertiam ἀπόλυτον. quo loco multa, quae ad antiquae philosophiae et theologiae mysteria pertinent, explicantur. Nunc nos reliqua prosequamur. Apollonii interpretes in quarto, postquam de Tritone Libyae uel Boeotiae aliis consentanea scripsissent, tum et hoc subiungunt, οἱ δὲ, τὸ τρεῖν ἦγουν τὸ φοβεῖσθαι τοῖς ἐναντίοις ποιούσα. Hoc est: Alii, quod haec faciat contrariis τρεῖν, id est timere. id quod et Seruius in II. Aeneidos, Tritonia, inquit, aut quasi terribilis, ἀπὸ τοῦ τρεῖν, quod est timere: aut secundum Ircanum, etc. Hesychius etiam, τριτογένειαν καὶ τριτογενῆ Mineruam cognomine significare ait, ἀπὸ τοῦ τρεῖν ἐγγεννᾶν τοῖς πολεμίοις, hoc est, ab eo quod pugnantem timere faciat. Et hoc et plura Phurnutus [p.472] scribit: a quo et illud, eam dictam ἀτριτώνην, quasi non

teratur ullo labore. alii ad triplicem philosophiae speculationem pertinere aiunt. Plutarchus tamen in Iside et Osiride, Pythagoricus scribit numeros et figuras honorare solitos nominibus deorum. Triangulum enim aequilaterum, Mineruam appellarunt Coryphagenem, et Tritogeneam, quod τρισὶ καθέτοισιν ἀπὸ τριῶν γωνέων ἀγομέναις διαρεῖται: hoc est, Tribus lineis ad perpendicularum ductis, a tribus angulis diuiditur.

στρατεία, id est militaris Minerua cognominata, quod bello et militiae praeeset. unde etiam dictus Iupiter Stratius apud Herodotum, ut in Ioue dictum est. Lucianus in Dialogis meretriciis Stratiae Mineruae, id est militaris meminit. ἀστρατεῖαν etiam eandem nuncupatam legimus a Lacedaemoniis, cuius deae templum fuit in Laconia: ideo sic nominatum, quod illic Amazones ulterius, cum in Graecia pugnarent, non produere. hanc uero potius Dianam Pausanias ait.

ἄρεια, id est Martia Minerua ab antiquis culta fuit, quod dux et gubernatrix existimaretur bellorum, et iustitiae defensatrix, ut scribit Phurnutus. Proditum est, cum Orestes post matris caedem iudicium subiisset, in Ariopago causam dixisse: quo in loco Orestes absolutus a parricidio, Martiae Mineruae aram consecrauit, ut in Attica Pausanias scribit: Ariopagus, inquit, id est Martis uicus ea causa dictus est, quod ibi ἄρης, id est Mars condemnatus fuerit, cum Alirrhotion occidisset. quo loco etiam Orestes, quod matrem interfecerat, iudicatus est: qui ut sententiae poenam effugeret, aram Mineruae instituit, quae ἀρείας ἀθηνᾶς βῶμος uocata fuit. Huic porro deae ex manubiis Marathoniis aedem Athenienses construxere.

Hippia, id est equestris Minerua, ut Phurnutus ait, item Pausanias in Attica, nec quidem semel: item Arpocraton. sic uero nuncupata, quod currum instruxerit prima. hanc Isaeus rhetor et Mnaseas Neptuni filiam fuisse tradiderunt, ac Polyphes Oceanitidis. δάμνιππον etiam uocatam scribit Phurnutus, quasi dicas equidomitricem.

Sthenias Minerua, hoc est robusta, colebatur apud Troezenios. ferunt enim, cum inter Mineruam et Neptunum contentio esset, utrius ea foret regio, Iupiter statuit, ut amborum esset urbs communis. hinc porro factum est, ut Pallas et Sthenias et Polias cognominaretur: hoc est, et robusta et ciuilis: Neptunus uero ut

rex appellaretur. hinc etiam in Troezeniorum nummis altera parte fuit Neptuni fuscina, seu tridens: altera uero os Mineruae, ut a nobis alibi relatum est.

Glaucopis Athena, hoc est glauca oculos, uel caesia Minerua, cognominata fuit non modo a poetis et scriptoribus, sed et in simulachris ita effingebatur. Scribit enim Pausanias in Attica, supra Ceramicum et porticum regiam appellatam, templum fuisse Vulcani, cum Palladis simulachro, cui glauci erant oculi, iuxta Libycorum fabulam, qui [p.473] Pallada ex Tritonide et Neptuno natam ferunt: et ideo glaucos oculos habere, ut etiam Neptunus habet. Alii sunt qui autumant, quod τῆς γλαύκης, id est noctuae oculos haberet, quae auis etiam ei (ut dictum est) ascribebatur: ideo γλαυκῶπις est appellata. Alii putant ideo uocatam, quod uirtus illustris sit, et conspicua. Diodorus Siculus ab Aegyptiis ea causa Glaucopin appellatam prodit, non ea (inquit) quam Graeci putant, quod glaucos habeat oculos: sed quod aer, quem Pallada antiqui credebant, glauci sit coloris. Scribit Gellius sic uocatam, non tam quod glaucos, id est caesios oculos haberet, quam quod horrendo ac formidoloso esset aspectu. unde et glauci, id est caesii leones et βασιλικοὶ traduntur, quod et Phurnutus ait. Sunt et qui dracones eadem ratione Glaucopas nuncupent. Est et apud Stephanum in Alcomenio, ex Alcomene et Athenaide Hippobotae filia Glaucopus, a quo Glaucopion et Glaucopis. Caesia porro a ueteribus dicta Minerua est, quasi Coelia, ut docet Gellius in secundo. Auctor Priapeiorum Flauam appellauit, illo Scazonte:

Minerua flauo lumine est, Venus poeto.

Naso in elegia:

Quid si praecipiat flauae Venus arma Mineruae?

Ventilet accensas flaua Minerua faces.

Idem in Arte:

Si poeta est, Veneri similis: si flaua, Mineruae.

Quidam putant inepte a capillorum colore flauam Mineruam dici. Sed de flauo et glauco colore uide Gellium: et si libet nostrum Thilesium. Sed enim et Minerua ab oculorum truculento aspectu, et acri intuitu γοργωπὸς est cognominata, ut grammatici obseruant, ἀπὸ τοῦ γοργοῦ ὀπὸς, id est, a terribili acriue aspectu.

Poliuchos Minerua cognominata, cuius aedes, ut Pausanias scribit, in arce fuit Spartanorum. πολίουχοι enim communi genere, ut Suidas

ait, dicuntur, qui ciuitatibus imperant, eisque moderantur: nos, deos tutelares dicere possumus, seu custodes. Hinc et Iupiter etiam hoc cognomine uocatus est, ut dictum est. Hinc Vitellius Caesar patinam suam (ut ait Tranquillus) ob immensam magnitudinem clypeum Mineruae, aegida Poliouchi dictitabat. Poliuchi cum alii, tum in primo Herodotus meminit. Valla tutelarem interpretatus est.

Chalcioecus Minerua a Lacedaemoniis cognominata, cuius (ut Pausanias in Laconicis ait) simulachrum aeneum Gitiadas uir indigena confecit, simulque in eandem uersus edidit. Suidas, Chalcioecam Mineruam appellatam a Spartanis ait, quod οἶκον χαλκῶν, hoc est, quod aedem aeream haberet: uel quod Chalcidenses ex Euboea exules eam construxerant. Meminit in primo Thukydidis, nec semel Plutarchus diuersis in locis, item in Pausaniae uita Aemilius Probus, et Stobaeus ex Chrysermo, in secundo historiarum, sed et Aelianus in Varia historia et Titus Liuius, et Apuleius. Sunt qui Poliuchon et [p.474] Chalcioecum eandem faciant. Mirum et adhuc esse aliquos, qui apud Liuium Chalcionem legendum putent, et Chalcioniam apud Thucydidem latinum. Fuit et Minerua Chalcidica in urbe Roma, in nona regione, si uera P. Victor prodit. Quidam nunc D. Mariae esse arbitrantur, quod templum ab ea nomen adhuc seruat. quidam Mineruium. meminit, ni fallor, et Dion in historiarum libro LI.

Hellotis Minerua nuncupata, quod cum Dorienses Corinthum urbem caepissent, arderentque, duae sorores, Eurytion et Hellotis, in Palladis templum confugerunt, ubi et interierunt. mox subsecuta peste oraculum redditum est, expiandos sororum manes arsarum. quare cessante pestilentia, templum Mineruae Hellotidi construxerunt, et Hellotia celebritas instituta est. Alii ab ἔλος, id est palude, quasi palustrem dicas. alii ab ἐλεῖν, id est capere, ab equo uidelicet Pegaso, cui Pallas primum frenum imposuerit. plura his legas in commentariis Pindari, in Olympiis. Fuerunt et Hellotides coronae ambitus ingentis a myrro, ab Europa dictae, quam Corinthii Hellotida appellabant. hinc et Hellotis Minerua: Athenaeus auctor.

κορυφαγενή ἄθηνᾶ, Coryphagena Minerua a Plutarcho dicitur in libro de Isi et Osiri, quod e Iouis capite orta putaretur. Et ut ait poeta:

Quae de patrio uertice nata dea est.

Et Lucanus:

Hanc et Pallas amat, patrio quae uertice nata est.

Fabulantur uero, Vulcanum securi patris caput aperuisse, quod et Lucianus in Dialogis ridet, et Pindarus in Olympiis in Diagore Rhodii hymno: Cum, inquit, Vulcani instrumento, id est aerea bipenne Pallas ex uertice patris prorumpens uehementer exclamauit, ita ut caelum et tellus formidarent. quam fabulam plerique in allegoriam conferunt. Illud nunc tantum, quod idem tradit Plutarchus Pythagorici numeros et eorum figuras deorum appellationibus honestare solebant: nam triangulum aequilaterum uocabant ἄθηνᾶν κορυφαγένην, et τριτογένειαν, quoniam a tribus lineis ad perpendicularum ductis ex tribus angulis deducitur. Poetae quoque fabulantur, in Mineruae natiuitate aureos hymbres pluisse. hinc illud Claudiani:

Auratos Rhodiis hymbres, nascente Minerua,
Induxisse Iouem prohibent.

Coryphasia etiam Minerua appellata est a Coryphasio promontorio, in quo Pylos urbs condita fuit, ut Pausanias tradit. Stephanus tamen, Coryphasion regiunculam Laconicam scribit, Pylo proximam. De Coryphasia Minerua sic in IIII. prodit Arnobius: Quid, inquit, arbitramur fore? desistetne illa Minerua se dicere, cui Coryphasiae nomen est, uel ex Coryphae matris signo, uel quod e uertice summo Iouis parmam ferens emicuit, atque armorum accincta terroribus, etc. [p.475] Idem: Iouis (inquit) quarta progenies, quam Messenii Coryphasiam nuncupant. ex his Arnobii uerbis corrigere facile possumus locum apud M. Tullium in III. de Natura deorum, ubi quartam commemorat Mineruam, ut non Polyphoe eius mater, sed Coryphe legatur. et ibidem pro Coresia, Coryphasiam legendum: tametsi etiam Coresiam Pallada legamus, ut paulo post dicam ex Stephano. De Polyphoe non me praeterit, quod supra ex Isaeo et Mnasea relatum est, ex qua et Neptuno orta dicitur Minerua.

Lyndia Minerua cognominata fuit in Rhodo insula, ab urbe Lyndo. de hac Diodorus Siculus inter caetera tradit, Danaum cum filiabus Lyndum appulisse ex Aegypto, extractoque Mineruae templo statuam deae ingentem dicasse. paulo post subdit: Cadmus Mineruam Lyndiam muneribus ornauit, in quibus olla fuit aenea, admodum conspicua, uetusto more fabrefacta. in ea literis Phoeniceis tunc primum in Graeciam delatis

inscriptum erat, Rhodum uastatum iri a serpentibus. lege Bibliothecam Diodori. Meminit et Strabo libro XIII.

Capania nominata Minerua, ut Pausanias tradit, Argis in gymnasio Cylabare, ubi eius fuit simulachrum: aut a Capaneo dicta, aut a curru qui κάπανα a Thessalis dicabatur.

Ophthalmitis, quae et Optiletis, hoc est, ocularis Minerua, a Lacedaemoniis culta fuit. cuius aedem a Lycurgo constructam, prodit Pausanias, cum ipsi Lycurgo oculorum alter ab Alcandro erutus fuisset, dum in Alpion locum confugisset: cui opem ferentibus Lacedaemoniis, reliquum seruauit. Plutarchus cum in Lycurgi uita, tum in Apophthegmatis Ophthalmidis non meminit, sed Optiletē uocat. nam (inquit) apud illius regionis Doricos oculi ὀπτιλοὶ dicuntur. sed enim baculo Alcander Lycurgo oculum eruit, ut idem scribit Plutarchus, et a populo Lycurgo traditus, ut de eo supplicium sumeret. Sed Lycurgus nullo alio supplicio Alcandrum affecit: tantum sibi ministrare et famulari coegit, et ex insolenti ac immani mansuetum probumque reddidit.

ὄξυδερκοῦς ἄθωνας, id est acute uidentis Mineruae templum a Diomede positum fuisse, scribit Pausanias, cum ad Troiam pugnanti procul ab oculis Pallas caliginem depulisset, et inde factam appellationem, ab acute scilicet uidendo.

Cyparissia Pallas in Aesopi urbis Laconiae arce templum habuit, ut Pausanias scribit. idem et in Cyparissis cultam, et templum habuisse, tradit in Messeniis. Stephanus uero: Cyparissea, inquit, Triphyliae urbs, quae et Eranna uocabatur. unde gentile nomen Cyparisseus, et κυπαρίσσεια Minerua. [p.476]

Alea Pallas cognominata fuit, quam Peloponnenses summa ueneratione colebant, ut in Laconicis scribit Pausanias. ad quam Leotychides rex pulsus confugit, ob rem auare administratam contra Alebadas. Meminit et Xenophon libro VI. Hellenicon. sed et Aleae uetustissimum templum Tegeates Aleus aedificauit: quo igni absumpto, alterum Tegeatae Scopae Parii opera omnium magnificentissimum restituerunt. ab Alea Pallade, et Aleae festa dicta fuere. Mineruae etiam Aleae meminit Herodotus, qui historiam narrat, ut Lacedaemonii cum oraculi ambage persuasi in Tegeatas, bellum intulissent, uicti et capti plerique, compedes quos tulerant contra Tegeatas, pertulerunt, ac demum Herodoti

quoque tempore in huius deae templo suspensi pendebant. Eleam etiam Mineruam legimus apud Strabonem, et Domitium in Syluis Statii: Aut Eleae lucis uidit Tegeaea sacerdos.

Et idem Statius in quarto Thebaidos: Templumque Eleae nemorale Mineruae.

Licet perperam plerique legant Altae.

μητήρ, id est mater Minerua, et culta et uocata a mulieribus Elaeis: quae cum uiderent regionem desertam, ab hac dea impetrarunt, ut unico concubitu uirorum conciperent. quod cum obtinuissent, deam ipsam Matrem nuncuparunt, et eidem templum posuerunt: auctor Pausanias in Eliacis.

Telchinia Pallas, ut est apud Pausaniam a Telchinis cognominata creditur, qui e Cypro uenientes, Taumessi partem incoluerunt, in Boeotia, templumque de suo nomine deae Palladi construxerunt. Nicolaus uero in libro τῶν ἐθῶν, id est consuetudinum: Telchines, inquit, homines nuncupati ex Creta fuerunt, sed in Cypro habitauerunt, unde in Rhodum migrarunt, primique eam insulam detinuerunt. inuidi autem et fascinantes erant, artificesque existentes priscorum opera imitabantur, Palladis Telchiniae simulachrum primi erexerunt: ut si quis dicat βασκάνου ἄθωνας, id est fascinatricis Mineruae. hoc idem repetit Stobaeus in sermone de Inuidia.

βούδεια ἄθωνᾶ, Budaea Minerua ab urbe Magnesiae dicta, quae a quopiam Budeo condita fuit: licet et alia Budaea Phrygiae fuerit. meminit Stephanus. Alii putant, quod cum humana prudentia excogitarit, boum opera humum colere, inde factum nomen. atque ideo eadem ratione Boarmia a Boeotiis dicta fuit, quod scilicet aptarit aratro boues: quod et apud Phauorinum legimus.

Achea Pallas cognominata, cuius templum, ut Aristoteles scribit, in Italia apud Daunios Apuliae populos, in quo antiquitus fuisse tradit cum alia, tum secures et enses, caeteraque Diomedis eiusque [p.477] sociorum arma. huius templi custodes canes fuisse perhibentur, qui Graecis adeuntibus blandirentur, caeteris mortalibus agrestes et feri. Accolae longis ac pullis utebantur uestibus, propterea quod cum Diomedes eo delatus est, cum captiuis Troianis, loci opportunitate captus, e nauis descendens ad speculanda loca, relictas in nauium statione mulieres captiuae Troianae, ne in Graeciam seruitum ducerentur Graecorum uxoribus,

naues incenderunt, et propterea ibi constitisse ferunt eo utentes habitu.

Panachaeis Minerua in Achaia culta fuit, cuius templum commune Achaeis omnibus fuit, ut in Achaicis Pausanias prodit.

Pallenis Minerua, cuius Herodotus libro primo meminit, cum de Pisistrati Athenarum tyranni reditu agit, in quo Amphilytus Acarnan uates, ornatus pompa sacerdotali, ita Pisistrato cecinit:

Est nummus proiectus, item sunt retia tenta,
Nocte meant thynni, claro sub sidere lunae.
quod interpretans Pisistratus, in urbem reuersus est. lege Herodotum. Meminit et Palladis quoque quae in Pallenide coleretur, Euripides in Heraclidarum tragoedia. De Pallene Diana suo loco agemus. Fuit et παλληνήα Minerua in Chalcide, ut scribit Hesychius.

χαλινίτις, hoc est Frenatrix Minerua, uel ut Domitius interpretatur, Frenalis, dicta ἀπὸ τοῦ χαλινού, id est freno. Colebatur uero a Corinthiis. nam Bellerophonti opem deam tulisse aiunt, eique equum Pegasus, quem et infrenauerat, praebuit: huius deae simulachrum ligneum fuit, ut Pausanias ait, praeter faciem, manusque et imos pedes, qui ex lapide candido constabant.

Scirias Minerua, quae et Sciras est cognominata, a Sciro uate Dodonaeo dicta est, qui uetustissimum eius deae templum condidit: idem et loco in Attica nomen dedit. Scirus autem hic uates eo praelio cecidit, quo Eleusinii aduersus Erechtheum regem depugnarunt. eo enim tempore ex Dodona uenerat, sepultusque est prope torrentem, qui et ipse a Sciro appellatus est, ut Pausanias scribit. Stephanus tamen, Scirum quidem Atticae locum tradit, et Scironidas petras, a Scirone: uel potius a loco ipso. locus autem a Sciro heroe. Porro in hoc loco, ait, meretrices prostare solebant. Similiter et Sciraphion locus, ubi κυβισταί, id est aleatores conueniebant: et σκιροφόρος, quod ἀκόλαστον significat, id est prodigum et κυβευτήν, ab his qui in Sciro uersabantur. Hesychius uero: Sciras, inquit, Minerua. Sciron aiunt Neptuni filium uxorem duxisse Salamina Asopi. Strabo quoque in IX. de Attica loquens, et eius partibus et locis: Nam, inquit, a quorundam uocabulis heroum Sciras [p.478] et Cychria dicebatur, unde et Minerua Sciras appellatur. Et locus alter Atticae Scira, σκίρα: et Episcirosis, ἐπισκίρωσις, quoddam sacrificandi genus: et

mensis Scirophorion. Illud certe obseruauit, distincte qui graece haec nomina scripserunt, haec per simplex ἰῶτα, illa per diphthongum εἰ notasse: quamuis Stephanus et alii quidam confundant. Ergo illud recte, qui Hesychium exscripsit, σκείρων.* Sed quod sequitur, male, ἀργήτις. ibi enim, ut etiam notat asteriscus, legendum est ἀργέστης, qui uentus est notissimus, ut cum Strabone alii declarant, qui de uentis scripserunt: et ipse in Aeolo, hoc est Syntagmate Neptuni retuli. Porro et Scirrhada legimus, ut apud Arpocratonem: ἀθηνᾶν, inquit, σκιρράδα τιμῶσι ἀθηναῖοι, Mineruam Scirrhada colunt Athenienses.

Apaturias Pallas, id est deceptrix, seorsum a Venere nuncupata est. Scribit enim Pausanias, Aethram compressam a Neptuno, quo in loco Apaturiae Mineruae templum, ab ea constructum: et pro Sphaeria insulam Hieram uocauit, statutumque est, ut Troezeniorum uirgines ante nuptias zonam huius deae soluerent. De Apaturiis celebritate in Venere plenius egimus.

Hygeia, id est ὑγεία Minerua ab Atheniensibus culta, cuius statua in acropoli aenea spectabatur, a Pericle posita, quod ei in somniis dea ostendisset, quomodo sanaretur artifex tantum non conclamatus, qui in propylaeorum constructione ex alto ceciderat. Memini supra ex Plinio, in Partheno. Huius deae meminit et Lycurgus orator, in oratione περὶ τῆς ἱερείας. meminit et Pausanias in Attica. item Valerius Arpocraton. Fuit et altera Hygiae Mineruae statua in populo Atticae Acharnis, quam sospitem interpretatus est Domitius. Porro de Hygia Aesculapii alibi, hoc est, et cum patre, et suo loco dictum.

Ilias Minerua cognominata est in Daulia, cuius templo canes alebantur: quibus id erat instituti ac moris, ut aduenientibus Graecis blandirentur: barbaris uero si aduenirent, latratu infesti erant. Scribit Dion Chrysostomus in libro de bello Troiano, cum Vlysses legatus de pace ad Troianos missus fuisset, graecos a Troia abituros spondisse, se Mineruae relicturos maximam ac pulcherrimam oblationem, cum hac inscriptione, Hilasterion, id est sacrum, Achiui Palladi Iliadi. ἱλαστήριον uero καθάρσιον θυσιαστήριον, id est expiatorium, seu propiatorium, purgatorium sacrificium. Mineruae etiam in Ilio meminit Xenophon, statim in principio Hellenicon.

Singa Palladis nomen apud Phoenices, cuius nominis simulachrum Thebis Cadmus constituit, ut Pausanias docet.

Crastia Minerua templum habuit apud Sybaritas, de quo sic Herodotus [p.479] in V. Prope (inquit) Crastin, Dorieum capta Sybari extruxisse aiunt templum Mineruae, Crastiae cognomine.

Laphrya Pallas cognominata legitur, ut notat in Lycophronem Isaacius, quod ex bello spolia ducat: quasi dicas, Laphyria, quando ita graece spolia dicuntur. de Laphrya Diana suo loco agemus.

Pylaetis Minerua cognominata est, quod in portis urbium appingeretur. quin etiam et in aedium ianuis, ueluti in suburbiis Mars: ea scilicet ratione significantes, in urbe et aedibus prudentia opus esse: foris uero ut quae essent, defenderentur armis, belloque.

Aethyia Minerua cognominata, quasi αἴθυια, id est mergus dicas: quod cum prudentia nauigare oporteat, mergi exemplo. Mineruae Aethyiae meminit in Attica Pausanias. Cum, inquit, ab Apollinis et Dianae Agrestis templo descendis, Pandionis heroum, idest Pandionis herois templum occurrit, quem eo loco sepultum iam diximus, quem Mineruae Aethyiae scopulum uocant. quo loco in graeco et latino codice hoc nomen perperam scribitur. in graeco enim ἤθυια, in latino uero ethysia legitur: cum in utroque Aethyia legendum sit. Rectius alio loco Pausanias de eodem heroo Pandionis loquens: Ibi, inquit, Pandionem aduersa ualetudine extinctum, cui in Megaride tumulus ad mare adiacet, quem Athenis αἰθυίας σκόπελον, id est mergi scopulum, uel (ut uertit Domitius) Gaiuae scopulum nuncupant.

Endarthyia, hoc est ἐνδαρθυία, hoc nomine culta a Megarensibus, ut scribit Hesychius, quoniam Minerua in αἴθυιαν, id est in mergum conuersa, sub alis Cecropa occuluit, et in Megaram deduxit. hinc illi est cognomen: quod existimaui cum superiore conuenire. Sed cum Phauorinus idem iisdem uerbis referat, ut ipsum est apud utrunque, ipse quoque retuli.

ἐριάνη Pallas cognominata, ut Theophilus ait, ex eo quod sit praeses muliebrium operum: Operaria latine dici potest. Meminit Artemidorus libro II. de Insomniis, et Arpocraton. Aelianus et Pausanias hoc nomine tradunt primum ab Atheniensibus nuncupatam. Diodorus Siculus eo nomine uocatam ait, quod plura instrumenta inuenerit

ad diuersas artes. eadem ratione et Mechanitis Minerua cognominata putatur, quod excogitarit artes. hinc est etiam in prouerbiis graecis, σὺν ἀθηνᾶ. Illud quoque obseruat Hesychius, quod etiam ἐργάτις a Samiis sit dicta.

σάλπιγγος ἀθανᾶς, hoc est tubicinis Mineruae cognomen Pausanias commemorat: cuius templum Hegeleum posuisse ait, qui Tissenis, [p.480] seu Tyrseni potius filius fuit. Porro ipse Tyssenus, Herculis et puellae Lydiae filius, qui primus tubam inuenit, unde et Latini Tyrrhenorum inuentum tubam tradunt, qui aliquando a Graecis Tyrseni appellati sunt. qua ex re Hegeleus a tuba Mineruam Salpinga uocauit. Lege apud Pausaniam plura in Corinthiacis. Hesychius et Phauorinus Salpingis Mineruae templum aiunt apud Argiuos fuisse.

γίγαντοφόντιδα etiam uocatam legimus Mineruam, hoc est Giganticidam, ut Phurnutus ait, id etiam in allegoriam transferens.

νίκη ἀθηνᾶ, id est Victoria Minerua Athenis colebatur, cuius meminit Lycurgus orator in ea oratione, quae inscripta est περὶ ἱερείας. Huius deae simulachrum sine alis erat, hoc est ἄπτερον, in dextera malum habens granatum: sinistra uero κράτος, id est galeam, ut quidam interpretantur. ita uero culta fuit in acropoli, id est Athenarum arce, ut in primo de Acropoli Heliodorus scribit, et Arpocraton repetit. De Victoria quae sine alis, id est ἄπτερα ab Atheniensibus colebatur, actum est: et cum de Victoria ageremus, diuersa recensuimus. Fuit et in arce Megarensium νίκης ἀθηνᾶς sacellum, et aliud item αἰαντίδος, ab Aiace dictum, ut Pausanias scribit. Meminit et νίκης Phurnutus. Extat in Hispania marmoreum hac inscriptione, Palladi Victrici sacrum: hic hostium reliquias profligauit Cato, ubi sacellum miro artificio conditum, et aeream Palladis effigiem reliquit.

πολιάς ἀθηνᾶ, quasi tu dicas, ciuilis uel urbana Minerua, dicta (ut innuit Pausanias in Attica) quod in acropoli esset, quem locum eo tempore πόλις, id est urbem appellabant. Phurnutus autem non tantum Poliada, sed etiam ἐρυσίπολιν nominatam ait. Ferunt uero tum primum hoc cognomine dictam Mineruam, cum (ut ante diximus) iam Iupiter stauisset, ut promiscue Neptunus et Minerua Atticae praesiderent. unde ab urbe ipsa Poliada uocarunt, et Stheniada: sed Neptunum

βασιλέα, id est regem. unde et nummi eorum fuscina, seu tridentem altera parte, et altera Mineruae os habebant: quamuis alios auctores secutus supra, idem de Troizeniis tradiderim. scribit Strabo libro IX. Poliadis Mineruae templum in saxo uetustum fuisse, in quo lucis inextinctae lychnus erat. idem Parthenon, quod Ictinum condidisse ferunt. hinc ab aliquibus Ictini domina Pallas uocata est. Sedenim Pausanias in Attica de Poliade et lychno alia. Callimachum enim, non Ictinum ait, qui marmor prius secuerit, unde illi nomen κακιζότεχνον inditum. Scribit Hesychius, οίκουρον ὄφιν, Poliadis Mineruae custodem draconem uocatum. Et hic quidem unum, alii uero duos aiunt in Erechthei templo: et hunc acropoleos, id est arcis custodem, cui ex melle placentam offerebant. Poliadis [p.481] Mineruae peplum primos contexuisse legimus, Aceseum Patarensem, et Heliconem Carystium: de quibus in Prouerbiis legitur et historia. duas uirgines uocatas Canephoras, quasi dicas Cistophoras, huic deae quotannis statuebant, quae inseruient, de quibus plura Pausanias. Sed et alibi gentium alia fuisse Poliadis Mineruae templa legimus, inter quae illud quod Polieum ab ea nuncupabatur, apud Ilium. Fuit et tegeatis Poliatidos Palladis templum, in quod semel in anno sacerdos ingrediebatur. lege in Arcadicis Pausaniam.

Alipheraea Minerua cognominata est, ut Stephanus et Polybius scribunt. ἀλίφειρα urbs fuit Arcadiae: haec (ut Polybius tradit) in summitate collis arcem, et aeneam Mineruae statuam longe a caeteris specie ac magnitudine differentem habuit, quae a quo, aut cuius sumptibus, quoue tempore erecta fuerit, etiam apud eius loci incolas in dubio fuit. hoc inter omnes idem auctor constare ait, opus esse inter omnia opera Hecatodori et Sostrati excellentissimum. hinc ergo ἀλιφειραία nuncupata.

Itonia, et Itonias, et Itonis Minerua, ut notat Stephanus, et si Festo standum, Itonida: qui scribit, Itonida Minerua a loco appellata. Itonea uero a T. Liuius, qui in VI. Libro IIII. Decadis scribit, Ibi statua regis Antiochi in templo posita Mineruae Itonaeae iram accendit. Callimachus in Cereris hymno, ἦνθον ἰτονίαδος μιν ἀθαναίας ἐπ' ἄεθλα ὀρμενίδαί καλέοντες. id est, Cumque ad Itoniados certamina Palladis ipsum Ormenidae inuitant.

Et Apollonius in primo Argonauticon ἔργον ἀθηναίης ἰτωνίδος, hoc est, opus Palladis Itonidis. quo loco interpretes, Itoniae Mineruae scribunt templum fuisse in Corona Boeotiae, de qua non intelligit Apollonius: sed potius de Thessalica Itonia, cuius meminerit Hecataeus in primo historiarum. Strabo: Boeotii, qui uenerant ex Thessalia, expugnata Coronaea, Itoniae Mineruae templum in plano condiderunt, eodem quo Thessalicum nomine. Armenidas uero in Thebaicis scripsit, Itonon Amphictyonis filium in Thessalia natum fuisse, a quo sit ἴτων ciuitas, et ἰτωνίς ἀθηνᾶ, id est Itonis Minerua. Meminit et Alexander in primo Caricorum commentariorum, item Stephanus et Suidas. Pausanias in Attica, ubi de Pyrrhi regis uictoria contra Antigonum agit, scribit, inter Larissam et Pheras Itoniae Mineruae positum fuisse templum. Citatur hoc epigramma Pyrrhi apud Plutarchum item in uita Pyrrhi:

Haec tibi dona refert clypeos Itonia Pallas,
Aeacides Pyrrhus, quos audax Galata in armis,
Et magnae Antigoni bello amisere cateruae,
Quae quondam Aeacidis armorum gloria parta est.

[p.482] Sic uersu quidem heroico Domitius uertit, quod est elegiaco scriptum graece,

τοὺς θυρεοὺς ὁ μολοσσὸς ἰτωνίδι δῶρον ἀθανᾶ,

πυρρὸς ἀπὸ θρασέον ἐκρέμασεν γαλατᾶν.

πάντα τὸν ἀντιγόνου καθελὼν στρατόν. οὐ μέγα θαῦμα,

αἰχμηταὶ καὶ νῦν, καὶ πάρος, αἰακίδαί.

Papinius etiam in extremo secundo Thebaidos de Minerua loquens,

Sive Aonia diuertis Itone Laeta choris.

Quo loco Placidus: Itone ciuitas Boeotiae Mineruae sacrata. ut ipse alibi ait,

Ducit Itonaeos et Alalcomenaea Minerua agmina.

Bacchylides Mineruam Itoniam dicit. ab Itone ergo Mineruam oppido cognominauit, quod est in Macedonia, ubi eius antiqua fuit aedes, uicina Boeotiae, in qua regnauit Anthonous Herculis filius, et Paphies.

Ithomia Pallas, ab urbe Thessalica Ithome, cuius et meminit Homerus, ut docet Strabo libro IX. qui et Curalium fluuium scribit labentem παρὰ τὸ τῆς ἰθωμίας ἀθηνᾶς ἱερὸν, id est, praeter Ithomiae Mineruae templum, Peneum ingredi. Legimus et montem Ithomen, ut in Ithomate Ioue docuimus. quare apud Catullum quidam ita legunt:

Quod tibi si sancti concesserit incola Ithomi.
quod tamen non recipit amicus nostras, pro
Ithomi reponens Hymetti. Idem Catullus
eodem poemate,

Vnigenamque simul cultricem montis Ithomi.
nonnulli tamen Ithyni legunt. De Ictino
quidem bis Strabo meminit: sed in carmine
syllaba contumax repugnat. quare res
amplianda, ut Ictini lychnus sit asbestos.
Mirum est uiros alioqui doctos, Itoniam et
Ithomiam confundere, cum diuersae sint, ut
est a me ostensum. Bembus quidem apud
Catullum ubique Itoni legit, in Dialogo ad
Herculem Strozam: et duplicem facit, citato
super hoc ex lauacro Palladis carmine
Callimachi.

ζωστηρία ἄθηνᾶ, Zosteria Minerua
cognominata, cuius meminit Hesychius.
Pausanias uero in Boeoticis ait, Amphitryonem
statuas duas erexisse ligneas, cum aduersus
Euboeos et Chalcodontem pugnaturus arma
indueret, quod ueteres ζώσασθαι, arma
induere dicerent. Et Homerum ait,
Agamemnona Marti similem zona armorum,
etc. Stephanus uero in libro de urbibus,
ζωστήρα Atticae esse Isthmum scribit, ubi
ferunt Latonam zonam soluisse, cum in
paludem descendisset, ut lauaretur: quo in loco
piscatores sacra Latonae et Dianae faciebant,
et Apollini Zosterio. Tum et hoc subdit, quod
in Locris Epicnemidiis etiam Minerua
coleretur Zosteria.

θαλλοφόρος ἄθηνᾶ, hoc est, Ramifera
Minerua est cognominata, a ramis oliuae, puto.
Huius in Symposio meminit Xenophon,
[p.483] qui in eius celebritate senes ait
uenustos eligi.

ἀλαλκωμενης ἄθηνᾶ, ab Alalcomeneo dicta,
ut est apud Stephanum, qui eius deae statuum
erexit: non autem, ut Aristarchus putauit,
παρὰ τὸ ἀλαλκεῖν, id est auxiliari. Alalceis
enim uocaretur, quam tamen sententiam
sequitur Phurnutus, qui eandem etiam
appellatam ait ἀγελήδα, ἀπὸ τοῦ ἄγειν τοὺς
λαοὺς, hoc est ab agendo populos: uel ab
ἀγελίαις, id est armentis bouum, quae illi
sacrificabant, ut indomita: uel ut alii tradunt,
Agelea dicta est quasi ἄγουσα λείαν, hoc est
agens praedam. meminit Herodotus libro IX.,
et Homerus cum alibi, tum in quarto Iliados
πρώτη δὲ διὸς θυγάτηρ ἀγελείη. hoc est,
Prima autem Iouis filia Agelea. Sane idem
Alalcomenus et urbem a suo nomine dixit

Alalcomenen, de qua intellexit Statius libro
Thebaidos VII.

Ducit Itonaeos, et Alalcomenaea Mineruae
Agmina.

quo loco Lutatius Placidus grammaticus ita
castigate legendus: Alalcomena ciuitas est
Boeotiae, in qua regnauit Herculis filius. hinc
Bacchylides graecus poeta fuit, quem imitatus
est Horatius, etc. in qua nata est Alcmena
Herculis mater, et in qua etiam colebatur
Minerua.

Alcides Minerua cognominata a Macedonibus.
T. Liuius libro secundo quintae Decadis de
Perse rege bellum aduersus Romanos
suscipiente: Ipse, inquit, centum hostiis
sacrificio regaliter Mineruae, quam uocant
Alciden, confecto, cum purpuratorum et
satellitum manu profectus Citium est, id
Macedoniae oppidum est.

Catuleana Minerua dicta, de qua Plinius
XXXIII. Naturalis Historiae de Euphranoris
Alexandro, id est Paride agens. huius est, ait,
Minerua Romae, quae dicitur Catuleana, infra
Capitolium a Q. Lutatio Catulo dicata. Sunt
qui libentius Catulianam legant.

Musica Minerua etiam appellata fuit, de qua
idem Plinius eodem libro XXXIII. capite
VIII. Demetrius, inquit, fecit Mineruam, quae
Musica appellatur, quoniam dracones in
Gorgone eius, ad ictus citharae tinnitu
resonabant.

Captam Mineruam quoque cognominatam
legimus a Romanis, cuius delubrum fuit ad
Coelii montis radices: quae cur ita uocaretur,
uarias in III. Fastorum Ouidius opiniones
recitat. ita etim canit:

Coelius ex alto qua mons descendit in aequum,

Hic ubi non plana est, sed prope plana uia est.

Parua licet uideas Captae delubra Mineruae,

Quae dea natali coepit habere suo.

Nominis in dubio causa est. Capitale uocamus

Ingenium sollers, ingeniosa dea est.

An quia de capitis fertur sine matre paterni
[p.484]

Vertice cum clypeo prosiluisse suo.

An quia perdomitis ad nos captiua Phaliscis

Venit, et hoc signo syllaba prima docet.

An quod habet legem, capitis quae pendere
poenas

Ex illo iubeat furta reperta loco.

A quacunque trahas ratione uocabula, Pallas,

Pro ducibus nostris aegida semper habe.

Addit et his aliam grammaticus Marsus suam
opinionem, captamque Mineruam forte uocari

ille existimat, quod captus locus ex Festi sententia, ad sacrificandum legitime constitutus diceretur.

Nerine etiam Minerua, uel Neriene dicta fuit, si Porphyrii Horatiano interpreti stamus: qua de re in Marte satis scripsimus.

Oleria Minerua appellata est, et Oleria festa, ab urbe Olero, quae in Creta fuit, ut Stephanus meminit.

ἀνεμῶτις ἄθηνᾶ, id est Anemotis Minerua, hoc est umentosa, colebatur in ciuitate Methone, ubi et templum et simulachrum habuit, quod Diomedes dicasse fertur, ut Pausanias docet: dicta, quod ibi dea molestum umentum sedarit.

Cydonia Minerua, cognominata quidem de nomine urbis Cretensis: templum uero a Clymeno Herculis Idae nepote erectum fuit, ut apud eundem Pausaniam legimus.

ἄκρῖα Pallas dicta est Argis, ut Hesychius scribit, quod ἐπὶ τινος ἄκρας, id est quadam montis summitate constituta esset, a qua et Acrisius est denominatus. Est autem et Iuno, et Diana, et Venus eodem nomine Argis nuncupatae, quod pari modo in eadem summitate, id est ἐπὶ ἄκρω sint positae.

Colocasias Mineruae templum fuit in Sicyone, ut est in III. apud Athenaeum, quo loco de ciborio et colocasia agit, ex Nicandri Georgico.

ἐπιπυργίτης ἄθηνᾶ, hoc est turrium praeses Minerua, sic uocata et culta in Abderis, ut Hesychius scribit. ἐπιπυργιδίαν Pausanias uocat in Corinthiacis.

ἀτρυτώνη ἄθηνᾶ, hoc est Illaboriosa, et infatigabilis ullo labore, ut Phurnutus, uel inuulnerabilis in bello Minerua: Hesychius et Phaurinus. Sed et Phlyenses Myrinusii, ut Pausanias scribit in Attica, Mineruam τιθρώνην colebant. interpretatur Domitius, Almam.

Poeonia Minerua, id est Medica cognominata, cuius cum alibi simulachra, tum in primis in Attica Pausanias commemorat, ut quidem apud Oropios in ara Amphiaraei, item in Ceramico una cum Apolline Musageta.

Asia Minerua, id est ἄσια ἄθηνᾶ, cuius templum Pausanias ait fuisse in [p.485] rudibus, constructum uero a Castore et Polluce ex Colchis reuersis. nam et apud Colchos eodem nomine templum fuerat.

Hippolaitis Minerua dicta fuit, ut idem Pausanias tradit, ab urbe Hippola, cuius ruinae extabant Pausaniae tempore. urbis meminit et Stephanus.

Promachorma Minerua cognominata, quae in monte Buporthmo templum habuit in insula Trierana, ut in Corinthiacis Pausanias scribit.

κελευθείας ἄθηνας, hoc est adhortantis Mineruae simulachrum confecit Vlysses, postquam cursu superauit procos: Pausanias.

Agoraea Minerua, id est forensis, a Lacedaemoniis culta. Idem Pausanias.

Nedusia Minerua dicta, testibus Suida et Stephano, a loco uel urbe Laconiae. Strabo quoque tum libro octauo, tum XI. Nedusiae Mineruae meminit, quam a Nedonte loco nomen habere ait. sed duplex quidem templum Nedusiae his uerbis idem Strabo facit: Praeter Pheras autem, inquit, Nedon amnis per Laconicum labitur agrum, alter a fluuio Neda: Nedusiae uero Palladis cognomento insignem templum habet. Est etiam in Poeassa Nedusae Palladis sacellum nobile, a Nedonte loco nomen assecutae. haec quidem in octauo. In XI. uero ita: Inter autem aedem et Poeassae parietina, Nedusiae Mineruae sacellum est, quod Nestor secundum eius a Troia reditum aedificauit.

Ambulia Minerua: uide in Ambulio Ioue.

Pariae, id est παρείας Mineruae simulachrum sub diuo in Laconia describit Pausanias. Paniae uero in gymnasio Cylabare posita fuit, auctore eodem.

Axiopoena Minerua ab Hercule cognominata, cum se ultus fuisset de Hippocoonte et filiis, qui illum expiare abnuerant, et Oeonum interfecissent, ipse Palladis Axiopoenae templum in rei memoriam construxit. antiqui enim ποινας ultiones uocare, ut et nos, consueuere. uide nostrum Herculem, uel Pausaniam, qui historiam pluribus exequitur.

Cyristis Minerua a Strabone commemoratur libro XVI. dicta a regione Cyristica, quae Antiochensium agrum attingit, a septentrione uero Amanum montem. Huius regionis Tyndarus ciuitas fuit, Cyristicae regionis arx. atque inde Cyristis Minerua ἄθηνᾶ κυριστίς appellata. Porro et κυρρέστις Minerua a Cyrrho Syriae urbe nuncupata, quae tamen eadem est, nisi quod differunt graeca exemplaria, scriptura.

σωτεῖρα, id est seruatrix Minerua cognominata, teste Hesychio. Soteriae Palladi et Neptuno, ait Pausanias, Vlysem in uertice montis Borei, reuersum a bello Troiano, templum condidisse. Sotera Pallas [p.486] etiam a Galeno, aliisque antiquis medicis, antidotus quaedam cognominata est. Legimus

in Palladis Soteræ, quæ etiam Soteris dicitur, templo compedes, quibus uincti Lacedæmonii fuissent, suspensos fuisse: licet in exemplari Baptistæ Leonis, pro Soteræ, solertis legatur.

Sunias Minerua frequenti cognomine fuit apud Graecos, denominata a promontorio Atticæ regionis. de qua sic Pausanias in Graecia, quæ ad continentem e regione Cycladum insularum et maris Aegæi adiacet, Sunium prominet, Atticæ promontorium: quod simulac pernaugaueris, et portus et Palladis Suniadis delubrum in promontorii uertice existit.

ληϊστis, id est praedatrix Minerua nuncupata fuit, quoniam praesse credebatur praedæ, quæ ληϊς graece dicitur. Phurnutus: Vel potius, ait, quod seruatrix bonorum sit, et populorum. ac ciuitatis quidem, et domus, et totius uitæ praesidem poetae fecere prudentiam: atque ob hanc causam et ἐρυσίπολις et πολιὰς etiam cognominata est, hoc est protectrix urbium.

ἀηδὼν, Aedon, id est lusciniæ, Minerua a Pamphyliis nuncupata, ut scribit Hesychius et Phaurinus.

Narcea Pallas cognominata est a Narcao, Dionysii et Phiscoæ filio: qui deuictis finitimis est magnam adeptus potentiam, et deæ templum de suo nomine erexit, ut est a Pausania proditum.

ἀρσενόθυμος ἀθηνῆ, sic a Graecis cognominata Minerua, quod non muliebriter, sed uiriliter irascatur, uirilique sit animo: ut in primis in eo hymno legimus, qui ipsi deæ Polymiti a gentilibus canebatur:

ἀρσενόθυμε, φέρασι, μεγεσθενές,
ὄμβρυμοπάτρη,
παλλὰς τριτογένεια, etc.

Quæ omnia uides esse deæ epitheta.

Cranea Minerua, cuius in Phocæicis Pausanias meminit. eius enim celebre fuit templum, XX stadiis tantum distans ab Elatea.

Dymæa et Larisea Pallas, apud Achaeos fuisse dicitur. haec ita nuncupata, quod Dymæa urbs distet CCC stadiis a Lariso fluuio. lege Pausaniam.

Coresia Minerua, de qua Cicero libro tertio de Natura deorum: Quarta, inquit, Minerua Ioue nata, et Polyphæ Oceani filia, quam Arcades Coresiam nominant, et quadrigarum inuentricem ferunt. Stephanus uero ait, Corion locum esse in Creta, ἀπὸ κόρης τινός. unde sit ciuis Coresius, et palus Coresia, καὶ ἀθηνᾶς ἱερὸν κορησίας, et Mineruæ templum

Coresiæ, quam potius deductam ait a κόρη, quam a Corio: unde rectius fiat Corieus. [p.487]

Agraulæ Minerua, Eusebius in quarto. Agraulos filia Cecropis fuit, et Mineruæ cognomen: Arpocraton. Sane latini uidentur legisse Aglaurum, ut apud Ouidium in Metamorphoseis. Populus etiam Athenis tribus Erechtheidos fuit ἀγρᾶυλή, teste Stephano: qui et sine α aliquando ἀγρᾶυλή uocatur. Porro etiam tres Cecropis filiae dictæ sunt a rebus, quæ augere faciant fructus, πᾶνδροσος, ἔρση, ἄγρᾶυλος. Et priores quidem a rore dictæ, tertia uero a rusticatione.

Lemnia Minerua Athenis cognominata, ut Pausanias scribit, quod a Lemniis consecrata fuerit: Ex omnibus, inquit, Phidiae operibus potissimum spectabatur Palladis statua, quæ a consecrationis auctoribus Lemnia appellatur. Calydoniæ Mineruæ tanta fuit religio, ut capitalem fraudem ausi, aut pecunia iudicati, qui ad illam confugissent, noxa pecuniaque exoluerentur. quod idem praestabatur Pergami in Asia, si quis ad Aesculapii aedem confugisset, ut Polyhistor scribit Alexander.

Onca, hoc est ὄγκα ἀθηνᾶ, dicta apud Phoenices, ut Stephanus scribit. unde Oncaee dictæ sunt Thebarum portæ. Citat Stephanus Euphorionem. Hesychius quoque Onca Mineruæ meminit, aitque et portas Ogygiæ, id est Thebanas significare. alibi tamen ὄγγαν Mineruam ait Thebis cognomen habere a loco, cum ὄγκαν sit legendum. Fit enim ualde uerisimile, Cadmum ex Phoenicia hoc Mineruæ nomen in Boeotiam attulisse. Sedenim et Pindari interpret in Olympiis in hymno ad Theronem, super ea uerba Pindari, quibus ait Mineruam continenter amare Semelen: Pallas ut dea indigena amat Semelen. Cadmus enim statuam ei erexerat, Oncis Boeotiae uico, ubi et Oncaea Minerua colebatur. Caeterum legimus etiam in Aeschyli tragoedia, quæ septem duces ad Thebas inscribitur, Ongeas quasdam Thebis denominatas fuisse portas, a Palladis cognomine Ongeæ iuxta aedificato templo, sic appellatas. Onga autem apud Phoenicem dicta est Minerua, a quibus Cadmus traxit originem. hinc uidemus Onca et Onga dici.

ἀρακινθίς ἀθηνᾶ, Aracynthi Minerua cognominata, teste Stephano, ab Aracyntho monte Boeotiae. meminit et Rhianus poeta in Fama,

κλῦθι μοι εὐχάων ἀρακινθιάς εὐπατέρεια. hoc est,

Audi me felix Aracinthias ab Ioue nata.

ἄστυρις ἀθηνᾶ, Astyris Minerua colebatur, teste Stephano, in Astyra urbe Phoeniciae, uersus Rhodon. Astyrena uero Diana in Italia colebatur, ut idem ibidem testatur, et Strabo: ut plenius in Diana dicendum. [p.488]

ἄσσησία ἀθηνᾶ, Assesia Minerua, de qua Herodotus in primo. Fuit uero Assesus terrae Milesiae ciuitas, ut Stephanus scribit, ex Theopompi libro XXIII. Herodotus: Vbi Asiae Ionia bello ab Alyatte rege uexata, et segetes incensae, fanum Assesiae Mineruae incendio est conflagratum.

μονογενής, quae et μονογένεια ἀθηνᾶ dicitur, Vnigena Minerua a nostris dicta, quod ex solo Ioue nata est. Catullus,

Vnigenamque simul cultricem montis Ithomi.

Gorgona Mineruam Cyrenenses, ut Graeci grammatici notant: sed et hoc nomine eam Romani inuocabant. M. Tullius ad Equites: Teque, inquit, Tritonia armipotens Gorgona Pallas Minerua, etc. De Gorgonum uero sororum fabula, non est meum hoc loco plurima quae traduntur, hic congerere, praecipue cum graecis latinisque poetis scriptoribus descriptae legantur.

λαοσσῶος ἀθηνᾶ, hoc est, Seruatricem populorum Minerua cognominata, ut Phurnutus et Hesychius notant. Theocriti interpres in III. Edyllio ait, λαοσοὺς γὰρ ἢ ἀθηνᾶ, quae populum sequatur, uel seruans. δύσοον quidem malum genium, id est cacodaemona significat, uel qui inuitus seruat.

Cissea cognominata Pallas, cuius delubrum fuit celebre in arce Epidauri, ut est apud Pausaniam.

ταυροβόλος ἢ ἀθηνᾶ dicta est, teste Suida in Andro. nam cum Anius dedisset taurum Atridis, iussit, ut ubicunque e nauis exirent, Mineruam consecrarent. Et ita cum nauigassent, in Andro constituerunt.

Scillutiae Mineruae templum, scribit in VIII. Strabo, ad Scilluntem inter illustria numeratum fuisse: unde σκιλλουτία ἀθηνᾶ.

Sais Minerua dicta. Strabo in XVII.: Sais inferioris regionis Aegypti metropolis, ubi Minerua colebatur, in cuius templo Psammetichi sepultura fuit. Meminit et Herodotus in secundo. Propertius:

Mercurio Sais fertur Boebeidos undis

Virgineum primo composuisse latus.

Dicitur et Saites Minerua. Scribit Stobaeus in sermone qui de Legibus et consuetudinibus inscribitur, quod in Sai urbe Aegyptia colebatur Minerua, quae et Isis credebatur: ideoque Sphinges pro eius templis apponebantur, quoniam sacra deorum mystica esse, et aenigmatica conuenit.

Sicyonia Pallas, cuius templum apud Sicyonios construxit Epopeus Sicyonius, de Thebanis uictor. Ferunt, cum is perfecto templo deam rogasset, si gratum id haberet, aliquo ostenderet [p.489] signo: tum in eo loco oleum copiose fluxisse.

Auxiliarem Mineruam, id est ἀξιλιάρην coluere Romani, quod Plutarchus ostendit, et Clitonymus in libro rerum Italicarum, qui ad illius ἀξιλιάριας aedem Cassium Brutum confugisse produnt: tandemque ibi fame necatum, insepultumque iacuisse.

προναίας ἀθηνᾶς τέμενος, uel ut Herodotus προνοίης ἀθηνᾶϊς ἱερόν, hoc est (ut Valla aliquando est interpretatus) fanum Protemplaris Mineruae, fuit apud Delphos, quod post Herodotum Hesychius etiam confirmat. Pausanias quoque in Boeoticis, Mineruae et Mercurii protemplares, id est προναοὺς uocat, qui essent in templo Apollinis Ismenii: quorum alterum Phidias, alterum Scopas fecisse dicuntur. Ad haec legimus apud Phurnutum et προνοίαν, id est prouidentiam appellatam Mineruam. quin etiam et προνοίας ἀθηνᾶς, id est Mineruae prouidentiae apud antiquos templa erigebantur.

μαγαρσία ἀθηνᾶ, Magarsia Pallas, uocata ab ingenti tumulo in Cilicia, ut ait Stephanus, apud urbem Mallon. Arrianus in secundo de Alexandri historia: Alexander, inquit, Magarsum profectus, Mineruae Magarsidi sacrificauit.

μυγισία ἀθηνᾶ, καὶ μυγισαίς, id est Mygisia Pallas, uel Mygisais, uocata est a Mygisis urbe Cariae, cuius Hecataeus meminit in quarto Genealogiarum.

ἀλκιμάχα ἀθηνᾶ cognominata in bello, a uirtute uidelicet. meminit Suidas. unde illud, νηὸν ὑπωροφίας παλλάδος ἀλκιμάχας. hoc est, templum subtectae Palladis Alcimachae.

σταθμία quoque cognominata Minerua, a Stathmios, quae uox multa significat, sed in primis stationem, statua, stabulum, libram, alia: Hesychius.

παραπεπλεγμένη, ἢ ἀναπεπλεγμένη ἀθηνᾶ, teste Polluce in secundo, uocata est, ubi de

tonsoribus agit, id est Minerua circumamicta, uel redimita. cognominata quoque, ut Phurnutus scribit δορυκέντειρα, quod hasta ferire et stimulare diceretur. Et quod cum Victoria assistrice Gigantes uicerit, γιγαντοφόντης nuncupatur, eodem Phurnuto auctore.

εὔπηχυν ἀθήναν, hoc est boni cubiti, et perinde fortis, Mineruam uocat Rhianus poeta graecus, cum canit, μνάτει δ' εὔπηχυν ἀθήνην, Ambitque Eupechyn Athenan.

Legimus praeterea et alia nonnulla Mineruae cognomina, apud Hesychium praecipue, et Phauorinum, aliosque graecos scriptores, quae omnia colligere difficile est. nam et νηίθ Minerua ab Aegyptiis, ut Plato ait, dicta est, Hesychus, νηίθη. item ἠφαιστία, Hephaestia, id est Vulcania, κυάρη, ἔλλεσίη, et quae Bombylia dicebatur a Boeotiis. Agripha [p.490] etiam, item ἐπαλουσία uocata, et Maenalis a Pausania dicitur Minerua.

Armipotens, et Armisona uocatur a poetis. Vergilius:

Tum numina sancta precamur Palladis armisonae, etc.

Cicero ad Equites: Teque, inquit, Tritonia armipotens, etc.

SYNTAGMATIS VNDECIMI FINIS.